

dam studium magnis honorum atque divitiarum pollicitationibus fecerunt amabile, illique parentum blanditiis fascinati miras de eodem in animo conceperunt Ideas, quas consociatas memoria retinuit. Quotiescunque igitur de studio eligendo suscipitur deliberatio, recurrunt statim consociatae istae Ideae, mentemque impediunt, quo minus istud, quod debet, decernat. Tandem nominavi *indistractam*. Ubi enim ista affectuum motibus atque desideriis fuerit distracta, eum, quem sibi praefixit, scopum, non attinget; ut infra fusius dicetur.

§. 31. Quia vero mens nostra adeo arcte est unita corpori, ut de omnibus, quae huic vel laeta vel tristia eveniunt, participet; ad Eruditi habilitatem corporis quoque firmitas referri meretur. Scilicet mens suas operationes exerit per organa. Si igitur sortita fuerit aut debilia, aut morbis impedita; suis quoque partibus defungi nequit, ut in ebrio exacte atque crapula onusto videre datur. Eo forsan respexit Tacitus, cum dicit, *naturam Heroum mentibus quoque Heroica, h. e. excelsa assignasse domicilia, ne mentium conatus corporum debilitas retardaret*. Tandem quoque ministerio sensuum utitur mens in *acquirenda Eruditione*; hi vero si phrenesi alioque deliquio fuerint correpti, in multa animus penetrare non poterit.

§. 32. Et haec sunt, quae de *Acquisitionis Subjecto*, ejusque habilitate proferre libuit, quae quamvis ad Theologiae verae notitiam comparandam quoque sint necessaria, non tamen sufficiunt, sed Dei gratiam sunt altius evehenda atque perficienda. Id vero fusius hic persequi, nostri instituti ratio non permittit.

§. 33. De *Forma Acquisitionis* Eruditionis nunc quoque dicendum erit. Consistit illa in *legitima mediolorum usurpatione, quibus acquiritur Eruditio*.

§. 34. Inter media vero eminent praeter alios, suaque dignitate praecedit, *Numinis divini invocatio, vitaeque sanctimonia*. Quod medium, ut maxime universale, ita simul magnopere necessarium est. Sive enim spectemus Eruditionem, ut vocavimus, primariam, illa sane caeteris mediis omnibus adhibitis, nobis non salutariter obtinget, nisi Spiritus S. operationem imploremus, qui lucem per sacras literas accendit, & rationem boni sterilem, praeque feracissimam irradiat: imprimis dum in propatulo est, Theologiam non in umbratili divinarum rerum notitia